



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ad Leonem X. Pontificem Maximvm**

**[Straßburg], 1519**

**VD16 L 3409**

Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34717**

AD LECTOREM.

retundere, uide, ut Thomam tuum armatiorem producas in harenā, ne forte tunc non ea modestia excipiaris, qua hac congressione exceptus es. Repressi enim me ipsum ne malum redderem pro malo. Vale.

R. P. MARTINI LUTHERII AD F. SYLVE  
STRI PRIERATIS DIALOGVM  
RESPONSIONIS, FINIS.

AD LECTOREM.

CONCLUSIONES Reuerendi Patris D. Martini Lutherij de uirtute indulgentiarū ex medio scripturarum campo decerptas, Eckius sophistico dente conatus est arrodere, Scoti, Capreoli, Durandi, Alphonfi, Gabrielis, & aliorum nouorū doctorū opinionibus nimitū confusus. At reuerendus pater Martinus Lutherus, Aureolā quam uocant, meruit, qui ab usum indulgentiarū tam argute primus conuulserit, ad quem tñ tot iam annos tot Theologorum millia cōnixerunt. Quā sceleratū est Christianā plebem, pro qua mortuus est Christus, his rebus tam impudenter ludificari, quæ forsan neq; in Euangelij, neq; in Paulo, neq; in Origene, neq; in Hieronymo, neq; in Ambrosio, neq; in Augustino, neq; in Hilario, neq; in Cypriano, neq; in alijs ueteribus fundatæ comperiuntur. Sunt opiniones (inquiunt) Theologorū, sed nouorū. Esto. Verum opiniones maneat opiniones, & nihil aliud sint q̄ opiniones, non autem onera Christianorū. Non faciamus opiniones nouorū Theologorū pares articulis fidei, & Christi Pauliq; decretis. Et pudeat tandem Theologos huius uocis, quā doctiores secreto nōnunquā apud amicos suos effutiūt, Sic quidem dicerem in scholis, sed tamen (maneat id inter nos) diuersum sentio. Item, Sic dicimus in scholis, sed tamen (maneat inter nos) non po



## AD LECTOREM.

testi probari ex sacris literis. Quin potius si quid docere uolunt, non statim minis cogant homines, alioqui misera erit Christianorum conditio, sed proferant ex fontibus testimonia sine coactis & apud se natis interpretationibus, & credetur eis. Id quod non fecit M. sacri palatii F. Syluester Prieras, qui nuper Martino Lutherio respondit, sed sic, ut Theologis & non Theologis risum mouerit, cum sua ecclesia essentiali, uirtuali, representatiua. Quod si laici respiciente passim mundo non tam ex libris, quos etiam nobis Theologis meliores legunt, quam ex ingenij sagacitate, multa quotidie reprehendunt circa Christianismum, quae secus habere putant, quid oportet nos facere a uulgo longe, lateque remotos? Aperite tandem per dominum nostrum Iesum Christum oculos uestros o Theologi, & omissis scholasticis opinionibus, omissis puerilibus digladiationibus, ad ipsos scripturarum fontes accedite. Haec admonendi causa dicta putentur, certe non sine lachrymis & gemitu bonorum uirorum scripta, ad superbam istam pertinaciam, & pertinacem quorundam superbiam ingemiscensium, teste Christo, qui est benedictus in secula. Fiat, Fiat.

## CONTRA D. IOANNEM ECKIUM THEOLOGVM.

REVERENDVS PATER DOCTOR Martinus Lutherius, disputationis suae pro declaratione uirtutis indulgentiarum, hanc primam posuit conclusionem.

Dominus & magister noster Iesus Christus, dicendo, poenitentiam agite, omnem uitam fidelium poenitentiam esse uoluit.

## ECKIUS IMPVGNATOR.

Cum regnum caelorum in uerbis Christi praesentem uideatur significare ecclesiam, ac tempus plenitudinis euangelicae tunc aduentantis, non uidetur quomodo poenitentia omnem fidelium uitam exprimat.

R ij